ponatur et similiter operatur. Altero die si aquarum vena proxima fuerit
vas humore concepto soluetur. Item si vellus lane eque positum et coo-
pertum si tantum colligit humoris ut alia die fundat expressum copias in
esse testabitur. Item lucerna oleo plena et incensa si ibi similiter tecta
ponatur et sequenti die reperiatur extincta superantibus alimentis, aquas
locus idem habebit. Item si in eo loco focum feceris et terra vaporata
humidum fumum nebulosumque ructaverit aquas ibi fore esse agnoscas.
¶ His ergo repertis certa signorum firmante noticia puteum fodies
et caput aque requires. Vel si plura sunt in unum colliges. Tamen
sub radicibus montium in septentrionali parte querende sunt aque que
in locis magis habundant uberiores quam nascuntur. ¶ Sed in fodiendis
puteis est cavendum fossorum periculum, quoniam terra plerumque allumen sul-
phur bitumenque educit que spiritum pestis exalat. Et occupatis statim na-
ribus animas torquent nisi quis sibi fuge velocitate succurrerit. Prius
ergo quam descendatur ad intima in eis locis lucernam pones accensam
que si extincta non fuit periculum non timebis. Si vero extinguerit
locus mortifer est cavendus. ¶ Fodiendus est autem puteus latitu-
dine pedum octo vel septem quaque versum ut binos pedes structura con-
cludat. ¶ Fieri etiam potest latior seu strictior secundum quod plures aut pauci-
ores ex eo aquam haurire intendunt et secundum magnitudinem et parvitatem
vasorum. Si aqua limosa sit salis admixtione corrigetur. Sed dum foditur
puteus si terra non stabit vitio gracilis dissolvi aut humore liquabitur
tabulas obicies undique directas et eas transversis vectibus substinebis
ne fodientes ruina concludat. Potest etiam in talibus locis melius
sine fossorum periculo fieri videlicet quod fiat ex assidibus rota duplex et for-
tis ad putei latitudinem super qua fiat murus altitudinis unius
pedis antequam puteus fodiatur. Deinde ipsius fossor cum instrumentis fer-
reis in medio existens sub muro fodiat et ipsum usque ad terre equalita-
tem descendere faciat et iterum tantundem aquam extrahat donec puteus
sit perfectus. Sed qui in alto sunt putei perforatis usque ad infimam partem
terris ad loca inferiora per vias fontis exire si vallis subiecte
natura permittat. ¶ Aquam vero novam putei sic probabis in ereo va-
se nitido spargens et si maculam non fecerit probabilis iudicatur.
¶ Item decocta in eneo vasculo si arenam vel limum non relinquit in fundo

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK HEIDELBERG
BIBLIOTHECA APOSTOLICA VATICANA
© Biblioteca Apostolica Vaticana
http://digi.ub.uni-heidelberg.de/diglit/bav_pal_lat_1070/0041
MANFRED LAUTENSCHLÄGER STIFTUNG